

(1195) 1196, febrer, 7

*Saurina, viuda de Joan de Riera, i els seus fills, Guillem, Maria i Ermessendis defineixen, per causa de fam, al seu cunyat Ramon de Riera, el mas Riera de Vilablareix que tenen per Sant Daniel amb les seves possessions de Montfullà i Salt, amb diverses reserves.*

ASD núm. 53, perg. mig., 175 x 360 mm. Còpia: Llibre 22, núm. 16, p. 45.

Sit notum cunctis quod ego Saurina, uxor Iohannis de Rieria qui fui t, et filii mei Guilielmus · et Maria et Ermessendis, consilio et uoluntate Marie abbatisse Sancti Danielis et totius conuentus eiusdem loci, bono animo et spontanea uoluntaté ac nemine cogente, set magne famis necessitate urgente, donamus et diffinimus tibi Raimundo de Riera cognato meo et uxori tue Marie et uestris et cui dare uel dimittere perpetuo uolueritis, totum illum mansum integre de Riera, sicut habetur et continetur in parrochia Sancti Menne de Uillablarex et totum honorem cultum et heremum quem habemus et habere debemus per Sanctum Danielem uel per alios aliquos dominos tam in iamdicta parrochia et in parrochia Sancti Petri de Montefolian et in tota parrochia Sancti Cucuphati de Saltu quam in cunctis aliis aliquibus locis, cum exitibus et ingressibus et pertinentiis ac tenedonibus et uineis et terris cultis et heremis et cum terra in qua ipse uinee sedent et cum omnibus arboribus cuiuscumque generis ibi sint et cum omnibus in eis habentibus eisque qualicumque modo pertinentibus, ita ut iamdicta omnia habeatis et teneatis uos et uestri perpetuo ad omnem uestram uestrorumque uoluntatem omni tempore ibi et inde faciendam, saluo iure dominorum, et cum hac scriptura presenti in uestrum tradimus dominium et potestatem sine aliquo retentu quem inde non facimus, omnibus nostris uocibus et rationibus et nostrorum inde perpetuo extinctis. Et ut hoc melius sequatur et firmius teneatur et maius habeat robur, iuramus in Deum et super sacrosancta .III.or Dei Euangelia nostris propriis manibus tacta quod nos uel alias aliquis per nos iure sponsalitii uel alio aliquo modo contra hoc factum de cetero non ueniamus nec aliquo modo uenire possimus, et si aliquo iure in futurum huic contractui obuiam ire possemus, illi iuri penitus renuntiamus; uerumtamen teneamini dare mihi Saurine uictum et uestitum semper dum uixeram, et ad obitum meum faciatis me sepeliri sicut decuerit. Similiter dabitis mihi Guilielmo uictum et uestitum sano et egro sicut me deceat, et doceas me . tu iamdicte Raimunde in tuo magisterio dum uobiscum stare uoluero; sin autem et a uobis recedere uoluero, teneamini mihi dare .L. solidos pro mea hereditate. Non minus etiam teneamini mihi Marie dare .xxx. solidos pro nostra hereditate et mihi Ermessendi uictum et uestitum donec ad etatem perueniam maritandi dum uobiscum manere uoluero, set si cum matre mea stare uoluero, non teneamini mihi in aliquo, et item nos omnes iamdicti promitimus uobis quod simus uobis boni et utiles dum uobiscum manere studeuerimus. Si quis hoc rumpere uoluerit, non ualeat.

Actum est hoc .vn. idus februarii anno Domini .MCXCV.

Sig+num Saurine, sig+num Guilielmi, sig+num Marie, sig+num Ermessendis, filiorum eius, qui hoc firmamus firmarie rogamus. +Maria, gratia Dei abbatissa\*. Sig+num Ermessendis de Abbadals, priorisse. Sig+num Carbonelle, sacristisse. Sig+num Agnetis, sanctimonialis. (s. *man.*) Guilielmus presbiter, qui predicta lauda et fimo, saluo meo dominio et meas .n. oliuarias□'. Sig+num Petri Engilberti, signum Bernardi de Leucata. Sig+num Raimundi de Lemena. Sig+num Petri de Sancto Martina. Sig+num Bonifilii de Codonis.

Arnallus subdiachonus qui hoc scripsit die et anno quo su(s. *man.* )pra. (s. *man.*) Ermengaudus presbiter et publicus scriptor Gerunde subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 152-154